Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1843
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)



Hec igitur ut dixi rariora. Ac vero interitus exercituum
ut proxime trium sepe multorum clades imperatorum, ut imp
summi et singularis viri invidie preterea multitudinis atque
ob eas bene meritorum sepe civium expulsiones calamitates
fuge rursusque secunde res honores imperia victorie quamquam
fortuita sunt tamen sine hominum operibus et studiis neutram
in partem effici possunt.

Hoc igitur cognito dicendum est quo nam modo ho
minum studia ad utilitates nostras allicere atque exci
tare possimus, que si longior fuerit oratio tum magnitu
dini utilitatis comparetur. Ita fortasse etiam brevior
videbitur. Quecumque igitur homines homini tribuunt ad eum
augendum atque honestandum aut benivolentie gratia fa
ciunt cum aliqua de causa quempiam diligunt aut hono
ris si cuius virtutem suscipiunt et si quem dignum fortuna
quam amplissima putant aut cui fidem habent et bene
de rebus suis consulere arbitrantur aut cuius opes
metuunt aut contra a quibus aliquid expectant ut tum
reges populares ne homines largitiones aliquas proponunt
aut postremo pretio aut mercede deducuntur. Que
sordidissima est quidem ratio et inquinatissima et his
qui ea tenentur et illis qui ad eam confugere conantur.
Male enim se res habet cum quod virtute effici debet id
temptatur pecunia. Sed quoniam nonnumquam hoc subsidi
um necessarium est quemadmodum sit utendum eo dice
mus si prius his de rebus que virtuti propiores sunt
dixerimus atque etiam subiciunt se homines imperio al

terius et